




MISCELLANEE
R. BIBLIOTECA
DI FIRENZE
NAZ. CENTRALE
1051
6



THESES PHILOSOPHICÆ

QUAS

ILLUSTRISSIMO DOMINO

D. JO: PHILIPPO INCONTRI

PATRITIO FLORENTINO

MARCHIONI MONTIS VIRIDIS, CANETI &c.

D. D. D.

ATTILIUS BRUNI

IN FLORENTINO SCHOLARUM PIARUM COLLEGIO
PHILOSOPHIÆ AUDITOR.





FLORENTIÆ. MDCCXXVIII.
TYPIS REGIÆ CELSITUDINIS

Apud Tartinium, & Franchium. *Superiorum Permissu.*



Hominis mens differendo alitur, & cogitando, semper aliquid, aut inquirit, aut agit, & audiendi delectatione ducitur.

Cic. de Offic. Lib. 1.



ILLUSTRISS. DOMINE.



Irari plerique solent, Illustrissime Domine, cur egregium illud Sapientiæ lumen Pythagoras, a quo maximum Philosophia splendorem, & nomen ipsum accepit, Auditoribus olim suis severiùs indixerit, ut Præceptoris effata, quæ potiùs mysteria dixerim, per quinquennium animo recolentes, altè silentio premerent, ac veluti nefas ducerent, si quis illa fortassè liberius evulgaret. Verum, ut opinor, non ea Pythagoræ mens fuerat, ut pulcherrima Sapientiæ species privatos inter parietes tamdiù delitescere cogeretur, sed, ut vulgarium hominum frequentiam, quorum opinionibus, ut inquit Cicero, in errorem sæpiùs abripimur, consultò ipsa fugiens, ingenuos tantùm, ac liberales homines, quos Veritatis amor incenderet, arctissimè complecteretur.

Hinc, cum Phliuntem Pythagoras ipse venisse dicitur, non privatim, ac remotis arbitris de rerum naturà disputavit, sed coram Leonte Phliasorum tyranno, cæterisque Viris principibus, qui illùc Ejus famà permoti convenerant, eleganter adeò, copiosèque disseruit, ut omnes in maximam admirationem excitaverit, æternumque sibi Sapientis nomen, quod cæteris tamen modestior recusaverat, obtinuerit. Non erit igitur, Illustriss. Domine, quod audaciæ notam inuri mihi posse jam verear, si emenso, non quinquennij, sed brevi temporis spatio, ex quo Philosophiæ studiis nomen, atque operam dederim, eà præsertim ætate, quæ non severioribus modò, sed jucundioribus etiam studiis adhùc immatura videri poterat, publicum ingenij mei specimen exhibere, & Philosophicas Theses exponere non dubitaverim. Intelligo siquidem in eà Sapientum hominum coronà mihi rem esse futuram, qui singulari bonarum artium splendore maximè excelleant; qui hæc ipsa Philosophiæ studia, iisque deditos Adolescentes, perhumaniter complectantur; in quorum denique sinum quidquid in hac uberrimmà facultate afferri possit convolare propemodum videatur. Cum vero Te, Illustrissime Domine, studijs hisce meis auspicem, ac patronum habere contigerit, alacri certè, serenàque frontè prima hæc illorum paxs prodire debuit, felicemque sibi exitum polliceri, quòd plurimus illi splendor ex dignitate tuà, virtute, sapientià, cæterisque animi tui dotibus, quas à Majoribus tuis immortalis gloriæ Viris in Te derivatas admiramur, prorsus accedat. Hanc itaque voluntatem meam, hoc ingenii mei specimen, æternumque grati animi monumentum tuam in fidem recipias, & quemadmodum maximis hactenus beneficiis me semper uberrimè cumulasti, ita hoc etiam illis additum velis, ut auspice Te, aliquà saltem, quamvis exiguà, significatione obsequium meum ostendere, publicèque testari possim.



EX PROEMIALIBUS PHILOSOPHIÆ.

I.

PHILOSOPHIA nihil eſt aliud, *quàm ſtudium*, & amor *Sapientiæ*; *Sapientia verò*, *ut a Veteribus Philoſophis* optimè *definitum eſt*, *rerum divinarum*, *& humanarum*, *cauſſarumque*, *quibus hæ res continentur*, *ſcientia*. [1].

II.

Quamvis autem Pythagoras Philoſophi nomen invenerit, omniumque primus illud uſurpaverit, compertum eſt tamen longè antiquiores eſſe Philoſophos; & amorem Sapientiæ apud ſingulas ferè gentes ante Pythagoram floruiſſe.

III.

Plurima certè ſunt argumenta, quibus evidentiſſimè demonſtratur primum hominem primum Philoſophum eſſe debuiſſe: & quemadmodum a ſacris Literis erudimur, primum hunc hominem fuiſſe Adamum, ita quoque ab illis oſtenditur inditam eſſe Adamo rerum omnium cognitionem.

[1] Cic. Offic. II.

IV.

Quâ verò ſerie, quibusve incrementis poſt primi Parentis peccatum, offuſamque menti noſtræ caliginem ad poſteros Illa pervenerit, definiri vix poteſt; Credibile eſt tamen a patribus in nepotes derivatam novis ſubinde obſervationibus, & experimentis paullatim Illam adoleviſſe.

V.

Aſſyriis tamen, & Chaldæis Philoſophia plurimùm debet: a quibus trajecto mari ad Græcos tandem delata accuratiſſimis illorum ſtudiis adeò amplificata eſt, ut omnibus ferè numeris abſoluta videretur.

VI.

Ab illis etiam Sapientiæ fons, qui principiò unicus fuerat, in plures veluti rivulos eſt derivatus. Inde etenim quatuor Philoſophiæ partes, Logica nimirum, Phyſica, Moralis, & Metaphyſica prodierunt.

VII.

Inde quoque ingens ille Sectarum numerus erupit, quas inter principes haberi ſolent Jonica, Italica, & Eleatica, quæ Thaletem, Pythagoram, & Xenophanem auctores habuerunt.

VIII.

Atque has quidem diviſiones cùm partim Philoſophiæ dignitas, & ubertas, partim rerum obſcuritas, partim veritatis amor invexerint, ſola innovandi, diſſentiendique cupiditas in cauſſâ fuit, ut quidam Philoſophi Dogmatici

tici

tici vocarentur, quòd omnia suæ Sectæ Placita constantissimè defenderent; alii Pyrrhonici, vel Acataleptici, quòd de omnibus dubitarent.

VIIII.

Cùm autem hoc ferè dementiam, illud verò arrogantiam præseferat, [*quid est enim tam temerarium, quàm falsum sentire, aut quod non satis exploratè perceptum sit, & cognitum sinè ullâ dubitatione defendere?* (1)] inter utrumque pendere Viri Cl. consueverunt, illam potissimùm philosophandi methodum sequuti, quam Socrates, Plato, aliaque Sapientiæ lumina prodiderunt: & Academica, vel, ut Potamoni Alexandrino libuit, Eclectica nuncupatur.

X.

Nos itaque, licèt Pyrrhonicis, Scepticis, & Cartesianis minimè concedamus de rerum existentiâ, primis cognitionis nostræ principiis, atque universaliter de omnibus dubitandum esse, *operæ tamen pretium* fore arbitramur *aliquid scientiæ habere volentibus bene dubitare,* [2] *cùm primus Sapientiæ gradus sit falsa intelligere* [3].

EX LOGICA.

XI.

AD cæteras Philosophiæ partes, ac disciplinas omnes feliciter comparandas aditum præbere, ac veluti facem præferre dicitur Logica, quam *donum Deorum* a Socrate [4], *disciplinam disciplinarum* ab Augustino [5], *Artem omnium artium maximam* a Cicerone (6) optimè vocatam esse defendimus.

 XII.

[1] Cic. 1. Nat. [2] Aristot. 111. Metaph. [3] Lact. divin Instit IV. c. 23. [4] apud Plat. in Phil. & Apul. in Flor. [5] II. de Ord. c. 13. [6] in Bruto.

XII.

Tanta ſiquidem eſt illius præſtantia, atque utilitas, ut, ſi Mathematicas ſolùm facultates exceperis, nulla propemodum Scientia in ſtatu perfecto, ſinè Logicâ acquiri poſſit.

XIII.

Cùm verò Logica non ſolùm præcepta tradere, ſed illis etiam uti conſueverit, in Docentem, atque Utentem ſatis accommodè diſtingui ſolet, veluti in duo munera ejuſdem habitus, ſeu diſciplinæ.

XIV.

Inde etiam fieri potuit, ut partim Scientia, partim Ars Logica diceretur: habet hoc enim commune cum artibus, ut præcepta tradat, cum ſcientiis verò, ut eadem præcepta certò, ac infallibiliter demonſtret.

XV.

Non tamen, ut plerique opinantur, partim practicus, partim ſpeculativus habitus putari Illa debet, ſed longè veriſimilius eſt Logicam totam, atque ſimpliciter eſſe ſpeculativam.

XVI.

Certè non aliud proponitur Logicæ, non aliud illa contemplatur, quàm ut operationes omnes Intellectûs ad verum dirigat; adeoque quidquid à Logicâ efficitur ad cognitionem ipſam, vel ſpeculationem unicè referri debet.

XVII.

Tres autem operationes ejuſmodi meritò numerantur Perceptio, Judicium, & Diſcurſus: non etenim Methodum diſtinctam ab illis operationem eſſe arbitramur.

XVIII.

XVIII.

Si mentis igitur operationes secundùm præcepta Logicæ dirigantur, Veritatem ipsam assequi nos posse defendimus; hanc etenim ab hominibus acquiri posse, inde etiam maximè ostendi potest, quòd non solùm ingenito quodam illius amore rapiamur, sed potentiæ quoque nobis inditæ sint, quibus illam arctissimè complectamur.

XIX.

Insidet sanè sensibus nostris quædam veritatis Nota, quæ, cùm plerumque nos deserat, ad ingenitum mentis lumen, atque innatas rerum ideas revocari debet: undè in clarâ, distinctâque rei perceptione Criterium Veritatis meritò constituitur.

XX.

Eâ ratione plurima certò, ac evidenter cognoscimus, adeoque Scientia admitti debet; quæ cùm certa simul, ac evidens esse debeat, nullâ ratione circa idem objectum cum opinione, vel fide componi potest.

EX PHYSICA GENERALI.

XXI.

PUlcherrimam, jucundissimam, cæterisque omnibus antiquiorem Philosophiæ partem Physicam esse arbitramur, cùm Illa potissimùm ab iis, quos primos cognitionis amor incenderat, exculta fuerit, elegantissimis etiam veterum Poetarum carminibus illustrata.

XXII.

Quamvis autem innumera ſint, quæ omnem adhuc ingenii, vel cognitionis noſtræ vim ſuperant, aut levibus ſolùm conjecturis in Phyſicâ nunc oſtenduntur, inter ſcientificos tamen, & ſpeculativos habitus enumerari Illa debet.

XXIII.

Certè cùm Phyſica Ens mobile, ejuſque proprietates, & accidentia ſpeculetur, ac plures etiam in partes optimè diſtinguatur, quibus ejuſdem Corporis mobilis Principia, Cauſſas, Proprietates, & Accidentia complectatur, plurima quoque de illis certò, ac infallibiliter demonſtrat.

XXIV.

Neque mirari quis debet innumeras ferè opiniones a Veteribus, Recentioribuſque Philoſophis de rerum principiis inventas eſſe, cùm ipſa rerum obſcuritas, veritatis, & novitatis amor in cauſſâ fuerit, ut non unam omnes ſententiam amplecterentur.

XXV.

Mirari potiùs quis debet, quod, *licèt Antiqui videantur differre de rerum principiis, pulchrè tamen conſentiunt* (1): *Etenim etiamſi aliam cauſſam, quàm materiam, dicunt tamen ſolùm tangentes eam valere ſinunt*. (2)

XXVI.

Hinc illuſtriores Philoſophorum omnium opiniones aliquâ ratione conciliari, atque illuſtrari poſſe Viri Cl. exiſtimarunt; dummodo tamen ita explicentur, ut ab Auctoribus ipſis expoſitæ fuerant.

XXVII.

(1) Simpl. in 1. Phyſ. tex. 8. (2) Ariſt. 11. Phyſ.

XXVII.

Neque enim Pythagoras omnia ex numeris, sed solùm secundùm numeros composita dixisse fertur, neque Plato Ideas ullas agnovisse a Deo, vel a substantiis omnibus separatas, neque Xenophanes unicum rerum principium admisisse; adeoque Illorum omnium sententiæ sic explicatæ neque ab aliorum opinionibus, neque ab ipsâ veritate plurimùm diffident.

XXVIII.

Illud est igitur a Philosophis omnibus observatum, atque a Philosophis omnibus admitti debet, dari in rerum naturâ veram mutationem substantialem, cujus principia sint tria Materia, Forma, & Privatio: atque inter illa Materiam unicam, potentialem, ingenerabilem, incorruptibilem esse oportere.

XXIX.

Hinc autem facilè apparet, neque elementa Cartesii, neque athomos Epicuri, neque elementa Chymicorum, neque particulas Anaxagoræ prima rerum principia in verâ Peripateticorum sententiâ vocari posse.

XXX.

Quodsi minùs feliciter de materiali rerum omnium Principio loquutus est Anaxagoras, meritò tamen ab Aristotele commendatur, quòd omnium primus extrinseca quoque rerum Principia sit contemplatus: undè nunc optimè a Philosophis omnibus quatuor Caussarum genera distingui solent.

XXXI.

Has inter Caussæ Efficientes cæteris omnibus nobiliores haberi solent: quæ miro etiam ordine, & nexu ita inter se conjunguntur, ut una ab alterâ moveatur, atque omnes denique a caussâ omnium primâ: neque enim aliquid a se ipso moveri, aut in serie, vel numero caussarum in infinitum procedi posse putamus.

XXXII.

Perperam verò Fortunam, aut Casum primam ejusmodi rerum omnium caussam nonnulli effinxerunt, cùm ipsa rerum varietas, ordo, pulcherrima dispositio cuncta a solo Deo fieri potuisse manifestissimè demonstret.

XXXIII.

Tanta autem est divinæ hujus caussæ vis, & potestas, ut ipsas hominum voluntates, non moraliter solum, & simultaneè, sed etiam physicè, ac prævie moveat *habens sine dubio humanorum cordium, quò placeret, inclinandorum omnipotentissimam potestatem* [1].

XXXIV.

Neque tamen hinc fieri existimaveris, ut humana libertas minui, vel lædi possit, *cùm enim Deus vult fieri aliquid, quod nonnisi volentibus hominibus oportet fieri, inclinantur eorum corda, ut hoc velint, eo scilicet inclinante, qui in nobis mirabili modo, & ineffabili operatur & velle* (2).

XXXV.

(1) Aug. de Corrept. & Gratia c. 14. (2) Aug. lib. de Præd. Sanct. c. 20.

XXXV.

Quemadmodum etiam auctor peccati, cujus est ultor, Deus esse, vel dici non potest; nam licèt motio Dei ad operationem ipsam, vel materiale peccati, quod in se bonum est, extendatur, ad formale tamen illius, sive ad malitiam, quæ est pura privatio, vel purum nihil, extendi non potest.

XXXVI.

Sed quamvis efficacissima sit Dei voluntas, & motio, ac omnia in omnibus operetur, perperam tamen existimant nonnulli Creaturas nihil efficere, nihilque operari, adeoque caussæ efficientis nomen mereri non posse.

XXXVII.

Plurima siquidem ab illis in rerum naturâ producuntur, licèt non solum a Deo, sed etiam a certo quodam loco, vel tempore in operando dependeant, ut nulli proinde Creaturæ in distans agere concedatur.

XXXVIII.

Ipsa quoque finalis Caussa, licèt extrinseca, sit præsens subjecto, in quod operatur, per proprium amorem, quo caussas efficientes allicit, atque ad agendum invitat; unde solum Bonum veluti Finis amari potest.

XXXIX.

Quo certè loco Cartesius reprehendi posse videtur, qui caussæ finalis cognitionem omnem a Physicâ ablegandam esse putavit; quamvis ingenuè fatendum sit frustra omninò, atque inutiliter illam a nobis inquiri, præsertim

cùm

cum *voluntatis Dei caussas scire quaerimus, cum potiùs ipsa voluntas Dei omnium, quae sunt, sit Caussa* [1].

XL.

Contra Cartesium etiam, & Gassendum defendimus Corporis physici essentiam in trinâ dimensione, vel impenetrabilitate actuali (quà certè corpora aliquandò destitui possunt, cùm plura corpora in eodem loco, etsi non idem corpus in pluribus locis, circumscriptivè existere possit) positam non esse: corporis enim physici naturam a mathematico corpore plurimum distinguendam esse arbitramur.

XLI.

Quamvis itaque Continuum Mathematicum in infinitum divisibile concedatur, Corpus tamen, vel Continuum physicum in infinitum physicè dividi posse negamus. Perperam verò, atque inutiliter ad Geometriae leges provocamur, *non etenim sensibiles lineae tales sunt, quales Geometria dicit* [2].

XLII.

Quod quidem physici, ac mathematici corporis discrimen cum Cartesius ipse non satìs accommodè perpendisset, & quietis naturam realem, ac positivam esse credidisset, mirum esse non debet, si plurimas motuum leges effinxit, quae a veritate, & experimentis ipsis abhorrent.

XLIII.

Si quid autem ab illo, nisi feliciter, ingeniosè tamen excogitatum videri debeat, id certè est gravitatis origo, quam ex verticoso subtilis, ac aethereae substantiae motu repetendam esse decernit: Aetheris tamen, atque aëris pressio veluti prima Gravitatis caussa haberi non potest; quemadmodum nec etiam magnetica vis illa, quam Telluri con-

[1] Aug. [2] Arist. III. Met. tex. 8.

concedit Gassendus; sed longè verisimilius est intrinsecum esse Gravitatis principium, qualitatem nimirum corporibus ipsis impressam.

XLIV.

Ab ipsâ certè oritur gravium decidentium acceleratio per numeros impares a Galileo Galilei primùm observata, ut spatia peracta quadratis temporum respondeant: quæ tamen proportio limites habet, eosque satis angustos. Quemadmodum etiam licèt ejusdem Corporis gravitas pro diversis regionibus diversas exerat vires, nullam tamen ex diversâ locorum, aut a polis, aut a centro terræ distantiâ rationem servare deprehenditur.

XLV.

Quod & in aëris densitate, ejusque legibus admiramur; licèt enim in mediocri altitudine spatia, in quæ comprimitur aër, sint ponderibus comprimentibus reciprocè proportionalia, ut ingeniosè Mariotte excogitavit, non ubique tamen ejusmodi leges observari accuratissimè compertum est.

XLVI.

Hæc autem omnia ex ipsâ ferè Aëris gravitate originem sortiuntur, quam aër juxta quamcunque directionem in proprio quoque loco exercet: *in suâ enim regione omnia gravitatem habent, etiam aer ipse* [1].

XLVII.

Perperam tamen ex aëris recurrentis impetu continuari motum ait Aristoteles, cum id efficiat impetus a projiciente rei projectę impressus.

[1] Arist. IV. de Cœlo.

XLVIII.

Quemadmodum verò Gravitas in corporibus reperitur, ita plurima quoque sunt accidentia, seu qualitates, quæ licèt ab ipsâ corporum substantiâ realiter distinguantur, sine illâ tamen naturaliter existere nequeunt.

XIL.

Cæteras inter ejusmodi qualitates principem ferè locum habere dicitur *divina, solique Deo nota* [1] Magnetis virtus, quà ferrum attrahit, atque altera quoque longè admirabilior, Veteribus prorsus incognita, quà sese ad polum dirigit. Utraque tamen ex eodem principio desumi, atque explicari posse videtur.

L.

Atque utinam id quoque liceat in arcanâ lege, & periodo, quà acûs magneticæ declinatio variari subinde conspicitur, definiendâ! Interim tamen ingeniosam Halleij hypothesim, ejusque Curvam Telluri circumductam amplectimur.

[1] Galen. lib. de Thor. & Avicen.

F I N I S.







